



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Concilia Galliæ Narbonensis

Baluze, Etienne

Parisiis, 1668

XXXV.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14646

Urbem-veterem Idibus Decembris, pontificatus nostri anno tertio.

X X X V.

VRbanus Episcopus servus servorum Dei, venerabili fratri Guidoni Episcopo Sabinensi, apostolicæ sedis Legato, salutem & apostolicam benedictionem. Cùm te ad partes Angliæ, tibi commissò inibi ac in Vallia & Hibernia plenæ legationis officio, pro quibusdam arduis & urgentibus negotiis destinemus; nos volentes ut spiritualium largitione munerum incolas illarum & aliarum partium, ad quas te devenire contigerit, reddas Deo & sedi apostolicæ plus devotos, fraternitati tuæ præsentium auctoritate concedimus ut in magnis colloquiis & congregationibus quæ occasione prædictorum negotiorum pro quibus te ad partes illas mittimus, tam infra legationis tuæ fines quàm extra, fieri contigerit, & in festis solemnibus, in Missarum solemnibus, ac in translationibus sanctorum, omnibus verè pœnitentibus & confessis, qui ad colloquia, congregationes, solemnia, translationes hujusmodi accesserint, unum annum & quadraginta dies de injunctis sibi pœnitentiis misericorditer valeas relaxare. Datum apud Urbem-veterem Idibus Decembris, pontificatus nostri anno tertio.

Vide epistolam ejusdem Urbani ad Archiepiscopos, Episcopos, & ceteros Ecclesiarum Prelatos per regnum Angliæ constitutos, quæ ab Odorico Raynaldo edita est ad ann. 1263. §. 85.